

pro illarum anima, quae in Deo charitate conjunctae ab hac luce migraverit celebrabuntur, eidem animae pro qua celebratae fuerint, perinde suffragentur ac si ad Altare Privilegiatum celebratae fuissent. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque. Praesenti in perpetuum valituro. Voluitque Sanctitas Sua hanc gratiam suffragari absque ulla Brevis expeditione.

Datum Romae ex Secretaria Sac. Congregationis Indulgentiarum die 23 Julii 1765.

N. CARD. ANTONELLUS PRAEF.
S. Borgia Secret.

CCLXXIX.

ORDINIS FF. MINORUM OBSERVAN. S. FRANCISCI

Ad humillimas preces Fr. Gregorii a Marsilia Commissarii Generalis Curiae Min. Observ. Ordinis S. Francisci, Sanctissimus Dominus Noster Clemens PP. XIII omnibus utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus confessis et S. Communione reffectis qui aliquam Ecclesiam praedicti Ordinis die 27 Novembris, in qua omnium Sanctorum ejusdem Ordinis festum celebretur a primis vespers, usque ad occasum solis diei hujusmodi singulis annis devote visitaverint, ibique juxta Mentem Sanctitatis Suae pie oraverint Indulgentiam Plenariam benigne concessit. Voluitque Sanctitas Sua hanc gratiam suffragari absque ulla Brevis expeditione. Datum Romae ex Secretaria Sac. Congregationis Indulgentiarum die 3 Septembris 1765.

N. CARD. ANTONELLUS PRAEF.
S. Borgia Secret.

CCLXXX.

ORDINIS FF. MINOR. OBSERV. REFORMATO RUM S. FRANCISCI

Ad humillimas preces Fr. Francisci a Feltrio Vice-Procuratoris Generalis Min. Observ. Reformato rorum Ordinis S. Francisci Sanctissimus Dominus Noster Clemens XIII omnibus utriusque sexus Christifidelibus, vere poenitentibus, confessis ac S. Communione reffectis, qui aliquam Ecclesiam praedicti Ordinis die

vigesimaseptima Novembris, in qua omnium Sanctorum ejusdem Ordinis festum celebretur a primis vespers usque ad occasum solis diei hujusmodi singulis annis devote visitaverint ibique juxta mentem Sanctitatis Suae pie oraverint Indulgentiam Plenariam benigne concessit. Voluitque Sanctitas Sua hanc gratiam perpetuis futuris temporibus fore valituram absque ulla Brevis expeditione. Datum Romae ex Secretaria Sac. Congregationis Indulg. die 17 Septembris 1765.

N. CARD. ANTONELLUS PRAEF.
S. Borgia Secret.

CCLXXXI.

ORDINIS FF. EREMITARUM S. AUGUSTINI

Ad humillimas preces Fr. Francisci Vasquez Ordinis Eremitarum S. Augustini Prioris Generalis exposcentis Plenariam Indulgentiam pro Regularibus sui Ordinis die decimaseptima Martii in qua Festum S. Patritii Episcopi Hiberniae Apostoli sub Ritu duplici minori tum in recitatione Officii, quam in Missis ab universo Ordine celebratur, Sanctissimus Dominus Noster Clemens PP. XIII benigne inclinatus Indulgentiam Plenariam tum omnibus ejusdem Ordinis Regularibus, cum universis Christifidelibus vere poenitentibus, confessis, ac S. Communione reffectis, qui aliquam Regularium praedicti Ordinis Ecclesiam eodem S. Patritii die festo devote visitaverint, ibique juxta mentem Sanctitatis Suae per aliquod temporis spatium pias ad Deum preces effuderint incipiendam a primis vespers usque ad occasum solis diei festi hujusmodi clementer concessit. Voluitque Eadem Sanctitas Sua hujusmodi gratiam perpetuis futuris temporibus absque ulla Brevis expeditione fore valituram.

Datum Romae ex Secretaria Sac. Congregationis Indulgent. die 19 Novembris 1765.

N. CARD. ANTONELLUS PRAEF.
S. Borgia Secret.

CCLXXXII.

SOCIETATIS JESU

Ad humillimas preces Laurentii Ricci Societatis Jesu Prae-positi Generalis Sanctissimus Dominus Noster Clemens PP. XIII benigne inclinatus concessit tum eidem cum suis pro tempore successoribus facultatem impertiendi per se sive per alios ejusdem Societatis Sacerdotes ab ipso ejusque successoribus suble-gandis omnibus dictae Societatis Religiosis in Articulo mortis constitutis, riteque dispositis Benedictionem una cum Indulgentia Plenaria, servata forma in Rituali Romano descripta. Voluitque Sanctitas Sua hanc gratiam perpetuis futuris temporibus absque ulla Brevis expeditione fore valituram.

Datum Romae ex Secretaria Sac. Congregationis Indulgentiarum die 21 Januarii 1766.

N. CARD. ANTONELLUS PRAEF.

S. Borgia Secret.

CCLXXXIII.

COMACLEN

Cum sicut humillime exponebatur quae in Civitate Comaclen canonice quaedam Pia Unio Presbyterorum tantum, reperitur erecta, quorum praecipua cura est Presbyteros in extremo agone laborantes pie adjuvare, eorundemque Cadavera ad sepulturam associare, sub hoc inter coetera statuto vel laudabili consuetudine, quod ipsa unio vel singulis illius Confratres, sive pro omnibus ejusdem Confratribus Defunctis, sive pro quodlibet Confratre hujusmodi ab hac vita decedente nonnullas Missas respective celebrare vel celebrari facere soleant, Sanctissimus Dominus Noster Clemens PP. XIII dummodo de asserto onere seu laudabili consuetudine coram Ordinario constiterint, clementer indulset ut omnes, et singulae Missae juxta praedictum statutum vel consuetudinem celebrandae, quae pro animabus ipsorum Confratrum, quae Deo in charitate conjunctae ab hac luce migraverint ad quodlibet Altare cujuscumque Ecclesiae celebrabuntur, animabus

hujusmodi pro quibus celebratae fuerint, perinde suffragentur ac si ad Altare Privilegiatum celebratae fuissent. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque. Praesenti in perpetuum valituro. Voluitque Sanctitas Sua hanc gratiam suffragari absque ulla Brevis expeditione.

Datum Romae ex Secretaria Sac. Congregationis Indulgentiarum die 4 Martii anno 1766.

N. CARD. ANTONELLUS PRAEF.

S. Borgia Secret.

CCLXXXIV.

SOCIETATIS JESU

Sanctissimus Dominus Noster Clemens PP. XIII Indulgentiam Plenariam, ut asseritur, in perpetuum jam concessam in omnibus Ecclesiis Societatis Jesu lucrandam in festo S. Joannis Nepomuceni die decimasexta mensis Maii, ad diem decimamseptimam ejusdem mensis in omnibus Ecclesiis praefatae Societatis ut in precibus benigne transtulit; Servato in reliquis tenore asseratae primae concessionis.

Datum Romae ex Secretaria Sac. Congregationis Indulgentiarum die 28 Aprilis 1766.

S. Borgia Sac. Cong. Indulg. Secret.

CCLXXXV.

CLERICORUM REGULARIUM BEATORUM MARTYRUM DE POENITENTIA

Ad humillimas preces Moderni Abbatis Generalis Ordinis Canonicorum Beatorum Martyrum de Poenitentia in Polonia et Magno Lituaniae Ducatu existentium, Sanctissimus Dominus Noster Clemens PP. XIII volens omnes et singulas Ecclesias tam erectas, quam in posterum erigendas Canonicorum Regularium hujusmodi in quibus aliud Altare vel in perpetuum vel ad tempus nondum elapsum simili Privilegio decoratum forsitan reperitur, quod per praesens Auctoritate Apostolica revocavit, et in quolibet ex dictis eorundem Canonicorum Regularium ab Abbate Generali semel tantum designandum hoc speciali dono illustrare

benigne concessit atque indulisit ut Sacrosanctum Missae Sacrificium quod a quocumque Sacerdote Saeculari vel Regulari cujusvis Ordinis, Congregationis et Instituti pro anima cujuscumque Christifidelis quae Deo in charitate conjuncta ab hac luce migraverit ad praefatum Altare designatum celebrabitur, Privilegio gaudeat. Non obstante in contrarium facientibus quibuscumque. Praesenti in perpetuum valituro. Voluitque Sanctitas Sua hanc gratiam suffragari absque ulla Brevis expeditione; ejusdemque Decreti transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu et sigillo praedicti et pro tempore existentis Abbatis Generalis Ordinis praefati munitis, ipsamet prorsus fidem adhiberi quae adhiberetur si praesens foret exhibitum vel ostensum.

Datum Romae ex Secretaria Sac. Congregationis Indulgent. die 29 Aprilis 1766.

N. CARD. ANTONELLUS PRAEF.

S. Borgia Secret.

CCLXXXVI.

ORDINIS FF. DISCALCEATORUM SANCTISSIMAE TRINITATIS
REDEMPTIONIS CAPTIVORUM

Cum sicut humillime exponebatur a Fr. Michaele a S. Francisco de Paula Procuratore Generali Ordinis Sanctissimae Trinitatis Redemptionis Captivorum Congregationis Hispaniae Fratres ejusdem Ordinis consuevisse elargiri Absolutionem generalem jam approbatam ab Apostolica Sede in septem per annum diebus, nimirum in festo Sanctissimae Trinitatis, in feria quarta Cinerum, in feria quinta in Coena Domini, in festo S. Catharinae V. et M., S. Agnetis Secundo, et in diebus festis S. Joannis de Matha et S. Felicis de Valois etiam extra Ecclesias Ordinis non solum Infirmis et Monialibus, verum etiam Imperatori, Regibus, Principibus et Magnatibus eisque inservientibus adscriptis Confraternitati Sanctissimae Trinitatis; Sanctissimus Dominus Noster Clemens PP. XIII eandem consuetudinem approbavit et concessit eisdem FFr. facultatem dandi supradictam Absolutionem generalem seu Communicationem Indulgentiarum aliorum-

que honorum spiritualium Ordinis praedicti, dummodo tamen quoad Moniales adscriptas illam dent de licentia Ordinariorum. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque. Praesenti in perpetuum valituro. Voluitque Sanctitas Sua hanc gratiam suffragari absque ulla Brevis expeditione. Datum Romae ex Secretaria Sac. Congregationis Indulgentiarum die 6 Maii 1766.

N. CARD. ANTONELLUS PRAEF.

S. Borgia Secret.

CCLXXXVII.

PRAGEN.

Ad humillimas preces Abbatis Josephi Callisti de Gentilibus auditoris Imperialis et unius ex numero tercentum Confoederatorum S. Joannis Nepomuceni in Stalka Civitatis Praegae specialiter deputati, Sanctissimus Dominus Noster Clemens PP. XIII benigne inclinatus Indulgentiam Plenariam semel in mense et in Articulo Mortis ad septennium praedictis Confoederatis et Confederationi aggregatis jam concessas in perpetuum duraturam ampliavit. Voluitque Eadem Sanctitas Sua hujusmodi gratiae extensionem in perpetuum absque ulla Brevis expeditione fore valituram. Datum Romae ex Secretaria Sac. Congregationis Indulgentiarum die 2 Septembris Anno 1766.

S. Borgia Secret.

CCLXXXVIII.

ORDINIS FF. CALCEATORUM SANCTISSIMAE TRINITATIS
REDEMPTIONIS CAPTIVORUM

Cum sicut humillime exponebatur a Fr. Antonio Moreno Morales Vicecuratore Generali Ordinis Calceatorum Sanctissimae Trinitatis Redemptionis Captivorum Fratres ejusdem Ordinis consuevisse elargiri Absolutionem generalem jam approbatam ab Apostolica Sede in septem per annum diebus, nimirum in festo Sanctissimae Trinitatis, in feria quarta Cinerum, in feria quinta in Coena Domini, in festo S. Catharinae V. et M.; S. Agnetis Secundo et in diebus festis S. Joannis de Matha et S. Felicis

de Valois etiam extra Ecclesias Ordinis non solum Infirmis et Monialibus, verum etiam Imperatori, Regibus, Principibus, et Magnatibus, eisque inservientibus adscriptis Confraternitati Sanctissimae Trinitatis; Sanctissimus Dominus Noster Clemens PP. XIII eamdem consuetudinem approbavit et concessit eisdem FFr. facultatem dandi supradictam Absolutionem generalem, seu Communicationem Indulgentiarum aliorumque honorum spiritualium Ordinis praedicti, dummodo tamen quoad Moniales adscriptas illam dent de licentia Ordinariorum. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque. Praesenti in perpetuum valituro. Voluitque Sanctitas Sua hanc gratiam suffragari absque ulla Brevis expeditione. Datum Romae ex Secretaria Sac. Congregationis Indulgentiarum die 10 Junii 1766.

N. CARD. ANTONELLUS PRAEF.

S. Borgia Secret.

CCLXXXIX.

CLODIEN.

In Ecclesia Cathedrali Clodiensi adest Altare Sanctorum Felicis et Fortunati Martyrum Patronorum illius Civitatis privilegiatum per Breve Gregorii XV 13 Januarii 1623 in quo haec habentur «*Omnium saluti etc. . . . volentes igitur Ecclesiam Cathedrali Clodien. simili ad praesens privilegio, ut accepimus, minime decoratum, dummodo in ea duodecim ad minus Sacerdotes existant et in ea situm Altare Sanctorum Felicis et Fortunati hoc speciali dono illustrare, auctoritate Nobis a Domino tradita etc. . . . ut quandocumque Sacerdos aliquis ejusdem Ecclesiae dumtaxat, Missam Defunctorum in singulis diebus, non tamen impeditis, pro anima cujuscumque Fidelis quae Deo in charitate conjuncta ab hac luce migraverit, ad praedictum Altare celebrabit, Anima ipsa de thesauro Ecclesiae per modum suffragii Indulgentiam consequatur. . . . concedimus et indulgemus etc. . . . Praesentibus etc. . . . Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die etc.*»

Et quamvis vigore hujus Brevis privilegium dicti Altaris sit pro solis Missis celebratis *diebus non impeditis*, nihilominus, stante declaratione Innocentii XI 4 Maii 1688 incipien. «*Alias postquam etc.*» quae extendit talia privilegia etiam ad dies impeditos, festivos ac duplices etc. Altare praedictorum Sanctorum Martyrum dici potest privilegiatum quotidianum pro omnibus Fidelibus Defunctis, sed pro solis Missis Sacerdotum ejusdem Cathedralis.

Benedictus XIII postea suo Brevis 20 Julii 1724 concessit omnibus Cathedralibus mundi catholici Altare privilegiatum quotidianum perpetuum designandum ab Episcopis pro omnibus Defunctis in cunctis Missis celebrandis a quocumque Sacerdote Saeculari vel Regulari; sed quoniam idem Benedictus declarat esse suam intentionem concedendi suum Privilegium iis Ecclesiis Cathedralibus *in quibus Altare privilegiatum quotidianum perpetuum forsitan non reperitur concessum*, ideo oritur dubium an privilegium Benedicti XIII possit competere Ecclesiae Cathedrali Clodien. in qua jam pridem existebat, et existit Altare Sanctorum Felicis ac Fortunati privilegiatum quotidianum perpetuum, sed in Missis Sacerdotum tantum illius Ecclesiae, quando alterum privilegium Benedicti XIII concessum est in Missis cujuslibet Sacerdotis, nullo excepto. Porro cum sit Cathedralis Clodien. non solum Cathedralis sed etiam Parochialis supplicatur pro resolutione, an possit insimul gaudere et frui uti Cathedralis Privilegio Benedicti XIII, et uti Parochialis nota gratia Altaris privilegiati concessi a Regnante Summo Pontifice Clemente XIII omnibus Ecclesiis Parochialibus. Itaque Episcopus Clodien. quaerit

1.^o *An non obstante praeallegato privilegio Gregorii XV Cathedralis Clodien. sit capax alterius enunciati privilegii Benedicti XIII anni 1724? et quatenus sit*

2.^o *An Episcopus possit designare pro Indulto seu Privilegio Benedicti XIII aut Altare Sanctorum Felicis et Fortunati, aut aliud Altare suo arbitrio?*

3.^o *An Cathedralis Clodien. possit eodem tempore, gaudere et frui uti Cathedralis Altari privilegiato quotidiano perpetuo*

concesso a Benedicto XIII Cathedralibus anno 1724, et uti Parochialis altero Altari privilegiato vigore concessionis Clementis PP. XIII?

Respondetur ad 1.^m « Negative » Etenim privilegium concessum a fel. record. Gregorio XV Altari Sanctorum Felicis et Fortunati concessum fuit Ecclesiae uti Cathedrali, quod clare constat ex illis verbis enunciati Brevis « *Volentes igitur Ecclesiam Cathedrali Clodiensem* ». Accedente deinde declaratione san. mem. Innocentii XI, quod privilegium Altaris quotidiani suffragetur etiam in diebus impeditis, idem Altare Sanctorum Felicis et Fortunati gaudet privilegio in hujusmodi diebus. Vigore postmodum Indulti Benedicti XIII idem Altare Sanctorum Felicis et Fortunati, in quo pro solis dumtaxat duodecim Sacerdotibus ejusdem Cathedralis Ecclesiae privilegium designatum fuerat, gaudet extensione ad quoscumque alios Sacerdotes sive Saeculares et Regulares.

Ad 2.^m Pariter « Negative, cum ex dictis Ecclesia uti Cathedralis gaudeat privilegio quotidiano perpetuo in praefato Altari Sanctorum Felicis et Fortunati ».

Ad 3.^m « Affirmative » videlicet, quod juxta Decretum Sanctissimi Domini Nostri Clementis PP. XIII eadem Ecclesia uti Parochialis possit gaudere privilegio quotidiano ad aliud Altare ab Episcopo semel tantum designandum, non in perpetuum sed ad septennium, ad formam Decreti. Datum ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 14 Novembris 1766.

S. Borgia Secret.

CCXC.

Beatissimo Padre

I Cavalieri Pollastron e Borgia Capitani delle due Navi da guerra della Santità Vostra umilmente espongono, come durante la navigazione rimangono privi sì essi come i soldati e gli altri impiegati al servizio delle Navi, delle Indulgenze che potrebbero conseguire nella visita delle Chiese; onde supplicano la Santità Vostra a degnarsi concedere loro qualche In-

dulgenza sì Plenaria che Parziale, applicabile per modo di suffragio anche ai Defonti in tutto il tempo che le medesime Navi anderanno in corso. Che etc.

Sanctissimus Dominus Noster Clemens PP. XIII Oratorum precibus benigne annuens tum eisdem cum militibus coeterisque ambarum Navium servitio addictis, qui vere poenitentes et confessi in uno die festo Confessariorum arbitrio eligendo S. Eucharistiae pabulo refecti fuerint, Indulgentiam Plenariam semel lucrandam in unoquoque maritimo cursu concessit. Insuper omnibus iisdem, qui quinque *Pater* et *Ave* in qualibet die corde saltem contriti recitaverint, Indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum clementer impertitus est, quam et Plenariam ut supra animabus Fidelium Defunctorum applicari possint, concessit. Item quotiescumque Litanias B. M. V. devote recitaverint concessit, ut Indulgentiam biscentum dierum a fel. rec. Sixto V ac Benedicto XIII concessam et a Sanctitate Sua confirmatam eisdem animabus Fidelium Defunctorum per modum suffragii applicare valeant. Voluitque Sanctitas Sua omnes et singulas supradictas gratias et Indulgentias perpetuis futuris temporibus absque ulla Brevis expeditione tempore dumtaxat cursus earundem Navium fore valituras. Datum Romae ex Secretaria Sac. Congregationis Indulgent. die 25 Novembris 1766.

S. Borgia Secret.

CCXCI.

MONIALIUM CALCEATARUM ORDINIS B. M. V. DE MONTE CARMELO

Ad humillimas preces Fr. Josephi Alberti Ximenez Procuratoris Generalis FFr. Ordinis B. M. V. de Monte Carmelo Sanctissimus Dominus Noster Clemens PP. XIII Indulgentiam Plenariam concessam sub die 21 Maii 1765 in una ex novem Feriis quartis immediate antecedentibus festum S. Josephi Sponsi B. M. V. cum expositione Sanctissimi Eucharistiae Sacramenti in qualibet ex Ecclesiis FFr. praedicti Ordinis ubicumque existentibus singulis annis faciendae, per unumquemque utriusque sexus Christifidelem qui praefatae Sanctissimi Eucharistiae Sa-

cramenti expositioni interfuerit ad sui libitum eligenda lucrificandam, et in reliquis supradictis octo Feriis Indulgentiam centum dierum. Ad iteratas ejusdem Procuratoris Generalis preces benigne inclinatus clementer extendit ad omnes et singulas Ecclesias Monialium praedicti Ordinis pro omnibus utriusque sexus Christifidelibus qui vere poenitentes confessi ac S. Communionem refecti dictae Sanctissimi Eucharistiae Sacramenti expositioni pro Plenaria Indulgentia lucranda in una ex eisdem Feriis quartis et centum dierum in octo reliquis Feriis dummodo corde saltem contriti interfuerint, ac per aliquod temporis spatium pie oraverint. Voluitque Sanctitas Sua hanc gratiam perpetuis futuris temporibus fore valituram absque ulla Brevis expeditione.

Datum Romae ex Secretaria Sac. Congregationis Indulgentiarum die 2 Decembris 1766.

S. Borgia Secret.

CCXCII.

Ad humillimas preces Praesidis et Abbatum Congregationis Sancti Spiritus Ordinis Sancti Benedicti Augustanae Dioecesis Sanctissimus Dominus Noster Clemens PP. XIII benigne inclinatus impertitus est facultatem benedicendi Numismata et Cruces Sanctissimi ejusdem Ordinis Patriarchae Benedicti juxta Formulam a s. m. Benedicto PP. XIV cum applicatione Indulgentiarum ex speciali privilegio sub die 23 Decembris 1744 approbatam, ac per Breve diei 12 Martii 1742 confirmatam. Voluitque Eadem Sanctitas Sua hujusmodi gratiam tum Oratoribus, tum eorum successoribus perpetuis futuris temporibus fore valituram absque ulla Brevis expeditione.

Datum Romae ex Secretaria Sac. Congregationis Indulgentiarum die 27 Januarii 1767.

S. Borgia Sac. Cong. Secret.

CCXCIII.

SOCIETATIS JESU

Ad humillimas preces Laurentii Ricci Praepositi Generalis Societatis Jesu Sanctissimus Dominus Noster Clemens PP. XIII

benigne inclinatus universis utriusque sexus Christifidelibus, qui decem Dominicis diebus continuis ante festum S. Ignatii Loyolae, sive alias per annum vere poenitentes confessi, Sacraque Communionem refecti piis meditationibus, aut orationibus, aliisque Christianae pietatis operibus ad ejusdem Sancti honorem, ac Dei gloriam vacando sanctificaverint et aliquam ejusdem Societatis Ecclesiam devote visitaverint, in qualibet ex praedictis Dominicis Plenariam peccatorum suorum Indulgentiam concessit. Voluitque Eadem Sanctitas Sua hujusmodi gratiam perpetuis futuris temporibus fore valituram. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 27 Januarii 1767.

N. CARD. ANTONELLUS PRAEF.

S. Borgia Secret.

CCXCIV.

MONIALIUM EXCALCEATARUM B. M. V. DE MONTE CARMELO

Ad humillimas preces Fr. Mariani Ventimilia Generalis et Fr. Josephi Alberti Ximenez Procuratoris Generalis Ordinis B. M. V. de Monte Carmelo Sanctissimus Dominus Noster Clemens PP. XIII Indulgentiam Plenariam concessam sub die 21 Maii 1765 in una ex novem Feriis quartis immediate antecedentibus festum S. Josephi Sponsi B. M. V. cum expositione Sanctissimae Eucharistiae Sacramenti in qualibet ex Ecclesiis FF. praedicti Ordinis ubicumque existentibus singulis annis faciendam, per unumquemque utriusque sexus Christifidelem, qui praefatae Sanctissimi Sacramenti Expositioni interfuerit ad sui libitum eligenda lucrificandam, et in reliquis supradictis octo feriis Indulgentiam centum dierum clementer extendit ad omnes et singulas Ecclesias Monialium Excalceatarum praedicti Ordinis pro omnibus utriusque sexus Christifidelibus qui vere poenitentes, confessi et S. Communionem refecti dictae Sanctissimae Sacramenti Eucharistiae Expositioni pro Plenaria Indulgentia lucranda in una ex eisdem feriis quartis et centum dierum in octo reliquis feriis dummodo corde saltem contriti interfuerint, ac per aliquod temporis spatium pie oraverint. Voluitque Sanctitas Sua